

## KAŹŃ W LESIE

*[Ioannes DANTISCUS] to [Matthias, Abbot of the Cistercian monastery in Koronowo]  
Althausen (Starogród), 1536-05-04  
IDL 1445*

Edocti sumus post discessum a nobis nuper Dominationis Vestrae Reverendae, quod occisor ille fratri Mathiae guardiani olim Ordinis Sancti Francisci civitatis nostrae Culmensis coram multis et praecipue per complices suos coram magnifico domino palatino Culmensi se iactaverit guardianum ipsum in ecclesia Dominationis Vestrae Reverendae, dum celebraret missam, subito ante altare morbo comitali aut apoplexia corruisse indeque paulo post mortuum, et quod ob id nullam ad defuncti mortem ansam aut occasionem dedisset seque igitur a nobis immerito excommunicatum atque sub interdictum denuntiatum.

Postulat itaque ipsius rei veritas pro iuris nostri defensione, cum idem guardianus in die Sanctae Paschae miserrime a suo occisore prius caesus livoreque undique tumens e vivis cesserit apud ecclesiam Dominationis Vestrae Reverendae, ut nobis eadem Dominatio Vestra testimonium veritatis litteris suis perhibeat. Quod sic negotio hoc exigente a Dominatione Vestra Reverenda poscimus impenseque rogamus, ne nobis impingi possit, quod per calumniam, quam officium nostrum pastorale fugit maxime neque umquam in usu habuit processus nostros emiserimus. Factura rem in primis Deo mutuaeque professioni nostrae dignam ac debitam et qua nos Dominatio Vestra Reverenda sibi in hoc amicitiae nostrae, quod inter nos est, vinculo plurimum reddet propensiores.

*Matthias, Abbot of the Cistercian monastery in Koronowo to Ioannes DANTISCUS  
Koronowo, 1536-05-05  
IDL 1447*

Quam libens et multa cum hilaritate suscepi litteras a Vestra Reverendissima Paternitate mihi missas, ex quibus percepit Vestrae Reverendissimae Paternitatis animum favorabilem erga personam, sed unde hoc merui, certe ignoro. Ago Deo gratias pro his, quod merui <i>nvenire gratiam apud tam excellentissimum antistitem et utinam eandem conservare id ab altissimo toto conamine animi mei flagito, ut mihi Vestra Reverendissima Paternitas dignatus est, ut per scripta certiore facerem de morte piae memoriae fratris Mathiae olim guardiani Culmensis. Deum testor, quo nil aliud negotii est, quam quod veniens ad monasterium nostrum Sabbato Palmarum, ipso die Dominico Palmarum infirmitate < laborans >, ut signa satis clara apparebant livida et tumida ex percussionibus, non, ut asserunt, ex causa infra celebrationem, nam nullam missam apud nos celebravit, sed totam hebdomadam hac praeventus infirmitate in eaque

## KAŹŃ W LESIE

laborans die sacratissimo Paschae gustato benedicto paschali {agit} ultimum diem persolvit et ita se res habet. Ego nescio, per quem vel quos hoc facinus est patratum, Deus qui omnia novit, ipse melius scit, ego tamen non diffido in Vestrae Reverendissimae Paternitatis gratia, quin me dignabitur Vestra Reverendissima Paternitas prosequi favore et gratia tamquam pater et dominus clementissimus, cuius gratiae et favori me cum toto meo conventu commendamus.

*[Ioannes DANTISCUS] to [Jan CHOJEŃSKI]*  
Löbau (Lubawa), 1536-05-31  
IDL 1456

Non respondit mihi Dominatio Vestra Reverendissima de homicida illo, qui in oppido Dominationis Vestrae Reverendissimae Gorsno VI abhinc miliaria degere fertur libere, alia superducta uxore, relictta hic priore cum liberis. Interfecerat hic bonum virum, qui arte sua coquendorum laterum uxorem et pueros bene nutriebat, qui nunc vicatim stipem petunt. Indignum certe, quod talis in dominio Dominationis Vestrae Reverendissimae sustineri et foveri debeat. Neque puto, quod oppidum hoc, quo gloriatur, ut sicarios et latrones retinere in se possit, privilegium habeat, alioqui et hic servaretur ea vicissitudo, ut scelestis hominibus ex Masovia profugis asylum pateret, quod bonis omnibus fieret exitiosum.

Cum de hoc homicidio mentio incidit, non possum celare Dominationem Vestram Reverendissimam, quid nuper in dioecesi mea Culmensi ipsa dominica Iudica acciderit. Guardianus Franciscanorum, frater Mathias monasterii in civitate mea Culmensi paraverat se ad celebrandum missam in villa mea Kyewo, unde noster Kyewski. Quo cum pergeret, per quendam Cristopherum Ossieczkowszki, qui fuit metquartus, captus abductus erat ad nemus propinquum et primum in terram deiectus, unus illius pectori, alter genibus insedit, tertius manus et brachia continuit, quartus vero Oszyeczkowski fisso prius val[ido] ligno miseri istius fratris pudenda durissime inclusit funeque, quo cinctus erat, ligatum sic ea in parte crudeliter affectum, in ventrem pron[um] proiecit detectumque vestibus dorsum usque ad talos saevissime fustibus cecidit, in iisque tormentis vix animam trahentem ad arborem ligatu[m] reliquit, ex qua aegerrime solitus, in his cruciatibus trans Vistul[am] ad abbatem Coronoviensem se contulit, ubi in maximis dolo[ribus] ipso die Paschae ita miserrime caesus, plenus per totum corpus tumi[dis] livoribus ex vivis cessit. Hanc eius passionem et mortem ipse abb[as] ad me veniens ad castrum meum Starigrod, cum prius litteris suis mihi scripsisset, coram latius recensuit, unde

## KAŹŃ W LESIE

certior factus, quod debui, officium exercui, et per dioecesim processus interdicti contra eum occisorem publicari iussi, ex quo iterum novum contra me concep[tum] est odium osoremque me eius farinae homines nobilitatis esse procl[a]mant.

[...]

Ceterum ut redeam ad guardiani interfectorum, cogit me huius tragediae s[eries]. Post tam audax et atrox facinus Ossieczkowszki iste libere se ad palatinum Culmensem in castrum regium Radzinense contulit atque usque ad praesens libere ubique obequitat domique non secus, ac si optime egisset, commoratur. Prius item quendam civem oppidi mei Vambresno, non ob aliud, quam quod cum ille in eo oppido porcos emeret, et civis iste venditori dixisset, quod levi pretio porcos vendisset, in strata publica in curru iacentem gladio punctim aliquoties transfixit vitaque spoliavit, neque ob hoc tam crudele facinus umquam se de domo s[ua] movit. Composuit tandem levi multa palatinus Culmensis hoc h[o]micidium. Causam, quam habuit contra guardianum haec fuit, cum q[uodam] die vestitus colore et cappa fere, ut nunc ferunt, monachali, ad civitatem Culmensem venisset, guardianus in deversorio forte fortuna cum eo consedens dixisse fertur ioco et amicis verbis: “tu uteris habitu nostro, necesse est igitur, ut frater noster sis, et uxor - soror”. Ex his satis leviusculis dictis eam contraxit Ossieczkowski bilem, ut miserum hunc fratrem adeo crudeliter mactaret. Quod si impune manebit, quorsum tendat, non opus est Oedipode. Attigi et de eo facinore in meis ad serenissimam maiestatem regiam, scripseram etiam reverendissimo domino archiepiscopo, cui maxime, ut primati incumbit, ut iis principiis obstaretur.

*[Ioannes DANTISCUS] to Sigismund I Jagiellon  
Löbau (Lubawa), 1536-05-31  
IDL 1462*

Miserandum tamen hunc casum, qui in dioecesi mea Culmensi accidit, celare Serenissimam Maiestatem Vestram non possum. Quidam Christopherus Osieczkowszki guardianum civitatis ecclesiae meae Culmensis Franciscanorum multis verberibus ipsa dominica Iudica, dum ad dicendam missam pergeret, excarnificatum ac diro quodam cruciatu affectum, ipsa domini[ca] Paschatis in monasterio Coronoviensi mori coegit, sicut de iis latius reverendissimus dominus Plocensis Serenissimae Maiestati Vestrae referet. Ille nihilominus occisor libere in domo sua commoratur et sub interdictum positus, quo vult obequitat, et ad castra et officiales Serenissimae Maiestatis Vestrae impu[ne] ingreditur atque egreditur. Quod ob tam atrox facinus ne fieret, quo iura tum divina, tum humana contaminantur, expediret, ut Serenissima Maiestas Vestra magnifico domino palatino Culmensi capitaneo castri Serenissimae Maiestatis

## KAŹŃ W LESIE

Vestrae Radzinensis serio mandaret, ut ea, quae iuris sunt, in hoc casu exsequeretur. Mihi ut spirituali aliud petere neque competit, neque licet.

*[Ioannes DANTISCUS] to [Matthias, Abbot of the Cistercian monastery in Koronowo]*

*Löbau (Lubawa), 1536-06-21*

*IDL 1489*

Ex litteris Dominationis Vestrae heri longe aliud, quam sperabamus, accepimus. Occasionem mortis guardiani Culmensis se ignorasse Dominatio Vestra scribit, cum nobis proprio ore fassa sit, quod ex percussionibus, livoribus et tumoribus admodum infirmus et aeger ad monasterium Vestrum Sabato ante Palmarum veniens in eadem infirmitate in festo Pascae mortuus est totumque eius corpus ex livoribus et tumoribus ut carbo nigrum fuerit et foetidum, quod sine sepultura diutius retineri non potuit. Neque umquam novi istius commenti coram nobis meminit ipsum guardianum flammea illa signa habuisse ex casu in fossam fornacis ante balneum, quod a veritate longe esse diversissimum arbitramur, immo in extremis Dominatio Vestra et prior ille confessor eius, qui cum Dominatione Vestra fuit apud nos in Starigrod, guardianum proclamassem in occisorem et adiutores eius vindictam Deo commitens nob[is] retulerunt, unde permoti nos processus nostros pro officio et debito nostro ecclesiastico dedimus.